



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

Laymann, Paul

Dilingae, 1698

Capitulum XXVIII. Licet.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

etius 15. ff. de donationibus causa mortis & docui lib. 1. tract. 4. c. 22. n. 10. in fine.
 Non autem vera est dicta regula, si quod minus est, sit quasi species diversa, & non contenta in majore, seu potiore, uti constat *ex cit. L. solemus §. ult.* ubi dicitur, quod iudex deputatus ad causas criminales, non potest cognoscere in civilibus, aut pecuniariis causis, licet alioquin causæ criminales majores sint pecuniariis, prout *Decius* notat *cit. loco.* Videri etiam possunt, quæ docui in *c. significante 34. de rescriptis.*

CAPITULUM XXVIII.

Licet.

PARAPHRASIS.

Si Clericus curatum beneficium obtinens, aliud curatum acceperit, & ipsius pacificam possessionem nactus sit, vel per eum steterit, quod minus nancisceretur, Episcopus seu collator ordinarius prius beneficium alteri conferre potest, sed eum, cui contulit, in possessionem corporalem inducere non debet, eo non vocato, qui beneficium per adeptionem secundi amississe censetur, quia forsitan ipsi jus in eo retinendo competit.

SUMMARIUM.

1. Beneficium, quod ipso jure vacat, conferri potest alij, non vocato possessore.
2. Provisus de beneficio, cujus alter possessionem adhuc habet, non debet in illius possessionem mitti, nisi vocato possessore.
3. Limitatur tamen hæc doctrina.

Notandum primò. Si beneficium ipso jure seu per juris constitutionem vacet, alteri statim conferri potest, etiam non vocato possessore. Ita *Dominicus & Francus hic in principio.* Intelligi autem id debet, dummodo satis constet de facto, v. g. Clericum curatum aliud simile beneficium, ejusque pacificam possessionem, consecutum fuisse, aut saltem per eum stare, quod minus possessionem capiat; nam paria sunt in ordine ad istos effectus possidere, & per

aliquem stare, quod minus possideat, *argu. regul. 41. in 6.*

Notandum secundò. Tametsi alicui beneficii vacantis collatio facta sit, si tamen de facto non vacet, quia alius in possessione est, non debet provivus in possessionem mitti, nisi prius vocato possessore. Ita hic notant DD. communiter, & sumitur *ex L. ult. c. si per vim &c.* ubi dicitur, quod possessor non citatus, ne quidem ex Principis rescripto, vel iudicis interlocutione, in possessione sua turbari debet.

Limitari debet primò. Nisi possessor, ante collationem alteri factam citatus, & auditus fuisset, & contra ipsum, præmissa causæ cognitione, pronunciatum, tunc eo non citato iterum provivus in possessionem mitti potest, prout *hic Lopus & Ioann. Monachus* notat, dans rationem, quia in hoc casu datio possessionis est executio prius factæ collationis, cum cognitione causæ. Secundò, nisi notorium, atque indubitatum sit, possessori, aut detentori nullum jus competere posse, tunc sine citatione, aut causæ cognitione, missio in possessionem rectè instituitur, secundum *Lapum hic n. 1.* & sumitur *ex hoc cap.* quando ratio, cur possessor vacandus sit, ea affertur, ne fortè jus retinendi habeat: ergò ea ratione notorie cessante, citatio, sicuti & causæ cognitio, omitti potest.

Porò cognitio hæc fiet summarie, & de plano, sine figura iudicij, ait *Lopus hic & Anchoran. not 7. juxta Clement. disperdiam de iudicij.* Et in hoc ipso iudicio, si collatio facta ostendatur, vel adversarius eam confiteatur, præsumitur esse Canonica, & legitima, neque admittitur quælibet exceptio impediens à missione in possessionem, nisi sit exceptio de crimine juncto cum infamia, vel exceptio obreptionis, vel denique alia, quæ aut manifesta sit, aut in continenti probari possit, prout *Lopus hic & Anchoran.* docent, & dixi de hoc in *c. constitutis 46. de appellationibus*, & consentiunt ea, quæ docui de executore in *c. dilectus 34. hoc tit.*

CA-